VIRTUTI AC MERITIS

VIRI

MAGNIFICI, AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMIQUE

DOMINI

REINHOLDI THEODORI Schönwald

AD DIGNITATEM
PRÆ-CONSULIS, PRÆSIDIS ET
PROTOSCHOLARCHÆ
d. VII. Maij A. MDCCXXXII.
FELICITER EVECTI,

APPLAUDERE VOLEBANT
VENERABUNDÆ.

MUSÆ THORUNENSES.

T H O R U N I I
Impressit Joh. Nicolai NOBILISS. SENAT. & GYMN.
Typographus.

IAm natura novos habitus faciemque venustam
Induit, & veris cultus ubique nitet.
Concutiunt Zephyri madidantes nectare pennas,
Quave volant herbas dædala mittit humus.
Ac veluti quando rapta est Proserpina, totus
Risit ager, florum riserat Henna parens.
Hinc invitabant violæ ferrugine tinctæ,
Pæonia & suavi lilia mista thymo:
Inde Iris, Pæstana rosa & vaccinia, calthæ,
Narcisso & tenui juncta ligustra croco.
Sic, dum Majus adest, spirat fragrantior annus,
Arbor habet frondes, pabula gignit ager.
Flora caput redimit, nescit numerare colores,
Florum etenim numero copia major adest.
Nec tamen ipsa sibi soli connectere sertum
Adsolet, hinc apibus portio magna venit.
Hæ quoties regi libuit sua castra movere,
Hortorum varias depopulantur opes:
Illæ crura quidem cœlesti nectare stipant,
Svaviter & passim murmura rauca sonant.
Interea intendens centenis vocibus auram
Gutture prædulces dat philomela sonos.
Et jam grande sonat, subito jam tinnit acutum,
Integrat, abrumpit, conduplicatque melos.
Alituum genus omne canit, voce aëra pulsat,
Per saxa & silvas vocis imago redit.
Quando igitur prata haud uno stellata colore
Ipse opifex dia pingit ad usque manu:
Hunc mens plena Deo merito veneratur, & inde
Contra atheos discit constabilire fidem.

Nil

Nil quia fortuitis atomorum nexibus ortum eſt,
  Omnia ſed nutu ſtantque caduntque Dei.
Sic rerum natura quidem mutare quotannis
  Cuncta ſolet, tellus qua pelagusque patet.
Experiuntur idem fatis moderantibus Urbes,
  Bruma ut depulſa lenior aura cadat.
Sic nuper gemuit magnis viduata THORONA
  Conſulibus, leto quos libitina dedit.
Provida nunc iterum ſuperorum cura Parentes
  Fert alios, Urbis qui pia ſceptra gerant.
Hos inter primas tenuit SCHOENWALDIA virtus,
  Condita cui pridem ſella curulis erat.
Huic ceſſit trabeatus honos PræConſulis atque
  Præſidis: unanimes ſic ſtatuere Patres.
Hoc Thorunenſes mox audivere Quirites,
  Plauſu & tergemino talia verba dabant:
Clementes ſuperi! nondum pia cura fatiſcit,
  Nondum concidimus, votaque læta fluunt.
Illi etenim faſces atque urbica fræna dediſtis,
  Cujus amor recti eſt atque probata fides.
Hic vires animi patriæ profundet in uſus,
  Hoc commune bonum Præſide perpes erit.
Hic tranquillus aget, quod non violentia mentis,
  Non ira aut odium conciliare poteſt.
Summis & mediis ſimilem præſtabit ubique,
  Canities animi pondera magna dabit.
Hunc nobis ſervate diu, ſupponite palmas,
  Ferrea vis adſit ſi duplicatur onus.
Nulla unquam turbent urbana Ceraunia, ſemper
  Sit terror pravis, præſidiumque bonis.
Audiit hæc Helicon, & cœpit reddere plauſus,
  Quod ſibi ſit prudens PROTOSCHOLARCHA datus.

Eja

Eja Heliconiades, ad gaudia sveta redite,
Incipiet tandem lætior ire dies.
Ereptus fuerat fatali cæde Palæmon,
Alter sponte suo cessit ab officio:
Funere mox alium Lachesis demersit acerbo,
Hocque Helicon orbus sidere congemuit.
Sed nova lux oritur: SCHOENWALDI *vivida virtus*
Musarum in tenebris Phosphorus alter erit.
Dicite: macte animi PRÆSES *& magne* SCHOLARCHA!
Te, qvod speramus, sospite vita redit.
In melius facies iterum est mutata Lycei,
Qvove viges, iterum vivitur ingenio.
Abdita Prussiacæ terræ pernoscere jura
Ac leges Themidis, gloria prima Tua est.
Regnorum historias calles, quid secula prisca
Attulerint, vel quid secula sera ferent.
Multa etiam expromit studiis arcana Mathesis
Culta, quibus Patriam condecorare qveas.
Utere doctrina, lapsis succurrito rebus,
Iam Pallas spondet maxima quæque sibi.
Vive diu felix! nunquam Te ruga senilis
Curæque infestent, livor & invidia.
Fama Tibi nomen, vires pia cura ministret
Numinis, ut placide grande feratur onus.
Denique & in Nato magni Genitoris imago
Splendeat, amplificet spesque salusque Domum.
Sic magnum Te Numen amet: viventque Camœnæ
Te Duce, Te salvo salva Minerva stabit.

[o]